

Prope ad Circium jacet *Lee*, quæ per filiam viri Equestris dignitatis inde *De Lee* cognominati devenit ad familiam de *Befles*, unde *Befles-Lee* dici cœpit; & ab illa jure connubiali ad Richardum *Fetiplace*, cujus progenitor Thomas nonnihil splendoris posteris suis attulit ex nuptiis cum Beatrice filia naturali Ioannis Primi Regis Lusitanæ, è qua illi prognati. Sed regrediamur. Juxta Abendoniam *Ock* fluviolus, qui Australem oppidi partem alluit, ponte à Ioanne de *S. Helena* Equite aurato olim conjunctus, in Isidem placide infertur; qui in valle illa de *White-horse* exoritur vix uno & altero milliari à *Kingston-Lisle*, quæ olim possessio Warini de *Insula*, sive *Lisle* Baronis inclyti. A quo cum Ioannes *Talbott* Ioannis bellicosi Comitis Salopiæ filius junior, qui per matrem genus repetiit, constitutus erat primum *Baro Lisle* sive *Insula*, sicut *Warinus de Insula olim fuit* (ratione possessionis hujus loci quasi dignitas loco adnexa fuisset,) & postea *Viccomes Insulæ*: continua quasi serie propitia Regum gratia in ejus posteris hic titulus effloruit. Etenim (ut summam perstringam) cum Thomas *Talbot* Ioannis illius filius sine liberis è vita migrasset, ore sagitta transfixus in pugna pro possessionibus contra Baronem *Barkley*, *Edwardus Grey*, qui ejus sororem duxerat, eundem à Rege *Richardo III* accepit, ut *Carolus Brandonus*, cui *Edwardi* ex *Ioanne* filio neptis tenella desponsata fuit ab *Henrico Octavo*: verum cum illa ante nuptias defuncta, hic etiam titulus in illo unâ defunctus. Postea *Arthurus Plantagenet* illegitimo *Edwardi Quarti* filio, qui *Elizabetham* Ioannis *Grey* *Viccomitis Insulæ* sororem, viduam *Edmundi Dudley* duxerat, hunc honorem idem *Henricus VIII* contulit. Illo rursus sine masculis demortuo, *Ioannem Dudley* *Edmundi Dudley* ex eadem *Elizabetha Greia* filium, qui postea *Dux Northumbriæ*, eodem honoravit. Quo proscripto, *Elizabetha Regina* ejus filium *Ambrosium* natalibus restitutum, priusquam *Warwici* Comitem creaverit, Baronem *Lisle* eodem die dixit. Ejusque è sorore nepotem *Robertum Sidney* tantis majoribus ortum, & suis virtutibus clarissimum, quem *Rex Jacobus* Baronem *Sidney de Penshers* creaverat, & charissimæ conjugii *Reginæ Annæ* *Camerarium* constituerat, etiam *Viccomitis Lisle* nomine & honore *CIO DC V* exornavit.

Pusey.
Dench-
worth.

Wantage.

Fitz. wa-
ria.

Ocke ille, quem dixi, deinde interlabitur inter *Pusey*, quod illi qui de *Pusey* nominati adhuc tenent per cornu à majoribus olim à Rege *Canuto* Danico donatum, & juxta unum & alterum *Denchworth*, ubi duæ familiæ claræ & vetustæ diu floruerunt, de *Hida* ad australius, & *Fetiplace* ad borealius, quæ ex eadem stirpe videantur progerminasse, cum uno eodemque clypeo gentilitio utantur. Rivulum inde anonymum *Ock* recipit qui ex eadem valle ad *Wantage*, promanat. Hæc vero *Wantage* Anglo-Saxonice *Wanating* villa erat olim regia, & *Ælfredi* Regis clarissimi incunabula, quam moriens *Alfritho* legavit. Longo post tempore mercatorium factum erat oppidum opera *Fulcocis Fitzwarin* viri bellicosissimi, cui *Rogerus Bigod* Angliæ *Marescallus* virtutis bellicæ ergo donaverat, hodieque *Bourchie-*

re *Bathoniæ* *Comites* è *Fitzwarinorum* stirpe oriundi Domini agnoscuntur, è quorum familia nonnulli sunt hic sepulti.

His *Abendoniam* digressus statim ab *Oxonien-* Tamisis.
sibus *Tamam* recipit (de quo alias) & nunc *Tam-* Sinodun.
is composito vocabulo dictus, primum *Sinodun* collem editum, & fossa profunda munitum Bretwell.
invisit, ubi olim Romanorum castrum fuisse cer- Rob.
tum est; proficissus enim nunc aratro Romano- Monten-
rum nummos vetustatis indicia aratoribus subin- sis.
de effundit. Sub hoc ad *Bretwell* castrum fuit, si Gallena.
non in hoc colle, quod *Henricus Secundus* ex- Walleng-
pugnavit, paulo antequam pacem cum *Stepha-* ford.
no iniret. Hinc *Tamisis* primariam olim *Attre-*
batorum urbem petit, quæ *Antonino GALLEVA* Gallena.
Attrebatum, *Prolemæo GALEVA*, sed utrique Walleng-
perperam librariorum incuria pro *GALLENA*, ford.
qui itidem in Græcis exemplaribus *καλλυα*, pro Gallena
Gallena literis transpositis nobis obtruserunt. Sic Gallena.
etenim *Britannice* dictum arbitratus sum, quasi Walleng-
Gualben, id est *Vallum antiquum*. Quo nomine re- ford.
tento, & ob vadum in flumine, *Forde* adjecto, Gallena.
Guallenzarop & *Wallenzarop* Angli olim vo- Walleng-
carunt, & nos hodie contractius *VWallengford*. ford.
Burgus habebatur *Edwardi Confessoris* temporibus, & continebat (ut est in eo libro quo Angliæ Gallena.
lustrum condebat *Guilielmus Primus*) *CC L XXVI* Walleng-
hagas, id est, domos, reddentes *ix libras de Gablo*, & ford.
qui ibi manebant, faciebant *servitium Regis cum equis,*
vel per aquam. De hagas octo pro Castello sunt destructæ.
Mœnibus olim obvallatum erat, quæ ut ex eorum tractu videre est, mille passus ambitu collegerunt. Castrum ad flumen sedet amplum sane, & quondam adeo munitum, ut inexpectabilis munimenti spes quosdam ferociores fecerit. Cum enim communi quasi bellorum incendio deflagaverit Anglia, subinde inani obsidione à *Stephano* Rege incinctum legimus. Amplitudinem ejus & magnificentiam cum illic *Oxoniam* pueri secederemus, demirabamur (est enim jam secessus studiosis ex æde *Christi Oxoniæ*) duplici murorum ambitu, duplici item vallo circumdatur, in medio, moli in magnam altitudinem editæ arx imponitur, in cujus acclivi per gradus ascensu fontem immensæ profunditatis vidimus. Incolæ constructum à *Danis* credunt, ego potius à *Romanis* aliquid hic positum, è *Saxonibus* postea & *Danis* excisum judicari, cum *Sueno Danus* hac populabundus vagaretur: demumque sub *Guilielmo Primo* denuo revixisse ex *Censuali* libro pro comperto habemus, cum meminerit octo *hagas*, id est, domos pro castello fuisse destructas, ut modo adnotavi. Castri tamen non meminit *Guilielmus Gemeticensis*, cum scribit *Guilielmum Normannum*, debellato *Haroldo*, statim ad hanc urbem (sic vocat) exercitum ductasse, transmeatoque *Tamisis* vado, hic castrametatum fuisse, priusquam *Londonium* adiret. Quo tempore *Wigodum Anglum* Dominum suum agnovit *Wallengfordia*, qui unicum filiam suscepit *Roberto D' Oyley* in matrimonio datam, ex qua *Matildem* hæredem unicum ille progenuit, quæ primum *Miloni Crispino*, eoque defuncto, *Brientio filio Comitis*, beneficio *Regis Henrici Primi* elocata fuit. Qui bellicis laudibus innutritus, & *Matildis Augustæ* partes sequutus, hoc

Domini
Walleng-
fordia.